24

I. F.

DISSERTATIO PHYSICA
DE
CORALIO

juxta ductum Plinii Hiſt. Nat. lib. 32.c.2.
adornata,
Quam
Benivolo Superiorum indultu
PRAESIDE

M. PAULO LINSIO,
Amplisſimae Facultatis Wittenbergenſis Philoſophicae Adjuncto,

in Illuſtri Athenaeo propter Salam
placidae Philoſophantium disquiſitioni
ſubmittit

JOANNES Frank/ Ulmanus,
Auctor,

ad diem Febr.
A. S. P. cIↄ Iↄc LXXV.

JENAE, Praelo Bauhoferiano.

Σὺν Θεῷ Τρισαγίῳ

Prooemium.

Ecquas non poteſt delicias, & ſuavitates creare *Nobilis gemma Coralium*? quanta, bonum Deum! in hac virtus? quanta pretioſitatum inſunt illi argumenta? Flores quidem varicolores ab uberrimo terrae erumpentes ſinu, inque venuſtam formam expandentes, rei herbariae Cultores in admirationem trahunt maximam; Sed *Coralium* majorem videtur excitare in animis ſcrutantium admirationem, non enim in terra, ut illi, naſcitur, & germinat, ſed circa abyſſum maris ſaxis, lapidibusque, adhaeret: ut ita genuinus heic videatur mare, campus, ubi a nimia aquarum copia haut ſuffocatur. Illi a Mundi oculo foti in pulcerrimam excreſcunt magnitudinem; *Coralium* vero a Sole non tactum, ramis oculos paſcit ſpectantium egregiis. Unde merito tum nobilitate a natalibus acquiſita, tum inſignibus eorum facultatibus pellecti hac vice luſtrandum, intimeque conſiderandum propoſuimus. *Tibi autem Summe & Infinite, perennis ſtet, Optime Sator! gloria, Tibi devotiſſima laborum pectorisque ſuſpiria pateſcant. Age increata VERITAS, age inexhauſta SAPIENTIA, fac quaeſo ſapiamus, fac quaeſo veritatem eruamus.*

CAPUT PRIUS
ΟΝΟΜΑΤΛΟΓΙΚΟΝ.

Cum ἀρχὴ παιδεύσεως ἡ τῶν ὀνομάτων ἐπίσκεψις. i. e. *initium cognitionis ſit nominum conſideratio*, ut *Epictetus* inquit, & *nomina tanquam eſſentiarum vehicula conſideraverit Plato in Cratylo*: etiam, *ne obſcuretur oratio a nomine incipiendum* docuerit *Cicero in Herm.* ideo conſilium, horum Clariſſimorum Virorum ſecuturi

turi, a nomine objecti circa quod tractatio noſtra occupatur, incipiemus.

Eſt itaque κουράλιον vel κοράλιον vox graeca, quam nonnulli deducunt παρὰ τῆς χειρὸς, quod manibus tactum lapideſcat. Multis, inter quos (a) *Plinio* placet deductio ἀπὸ τῆς κουρᾶς; hinc in notis Doctiſſimus *Jacobus Dalechampius* adponit ὅτι ἐν τῇ ἁλὶ κουρεῖται. Vid. ſi lubet (b) *Franc. Calceolari Muſeum.* Ab aliis παρὰ τοῦ κηρὸς, quod ſignificat cor, deducitur eò, quod analogiam cordis exprimat quodammodo, exque decreto Senatus Aſclepiadei vigorem cordis roboret. Quidam putant nomen ei inditum eſſe a Corallis ponti accolis quorum meminit *Ovidius*

(c) *Littora pellitis nimium ſubjecta Corallis.*

(d) *Becmanno* non inepte a mari dici poſſe viſum eſt; quaſi κορὸς vel κορὴ ἁλὸς, i. e. *pupilla* vel *imaginuncula*, quibus ludit puerilis aetas, ſcil. a forma; cui derivationi favet Doctisſimus (e) *Sabinus*, itemque clarisſimus *Salmaſius.* Horum originationum *Eruditus Lector* optionem ſibi pace noſtra habet; quamvis interea ultimam nobis magis arridere non diffiteamur.

Communiter latine ſcribitur per duplex l *corallium*, ſed neſcio quo orthographiae privilegio; ex *Claudiano* quidem producere nituntur auctoritatem; Sed in meo Exemplari tantum per ſimplex l ita ſcribitur:

(f) *Mergit ſe ſubito vellitque coralia Doto.*

Id quod etiam confirmant multi probatisſimi Poetae quos (g) *Glonerus* citat.

Coralium (h) *Dioſcoridi* eſt λιθόδενδρον quaſi *lapid-arbor*; aliis planta marina, frutex marinus, arboreusque lapis eſt. Vid. (i) *Becm.* A (k) *Plinio* dicitur *Gorgonium*, & ſequenti cap. *Dentritis. Paracelſicis* interdum dicitur *azuc. Hebraeis* vocatur אַלְמֻגִּים quae vox legitur 1. Reg. 10. 12. & transpoſitis litteris אַלְגּוּמִּים 2. Chron. 9. 1. Plerique tamen ligna thyina cum (l) Buxtorfio interpretantur, *Lutherus* ver-

(a) *Not. Hiſt. l. 32. c. 2.* (b) *Sect. 1. p. 4.* (c) *4. Pont. 427.* (d) *Orig. L. L. p. m. 378.* (e) *in Comment. Metam. Ovid.* (f) *de nupt. Honor. 169.* (g) *in Proſ. p. 113. & Syllab. Quant. p. 155. 156.* (h) *l. 5. c. 139.* (i) *loco cit.* (k) *lib. 37. c. 10.* (l) *Lex. Chaldaic. Talm. p. 102.*

vertit Hebeuholtz. arabice بُسَّدٌ & بُسَّذٌ, a Perſico پُسَّذ dicitur, ſecundum quosdam proprie ejus rami hoc veniunt nomine. Vid. (a) *Golius.* alias مَرْجَانٌ Arabibus praeter parvas margaritas coralium denotat. (b) idem *in Lex. ſuo.* Ital. corallo, Germ. Korallen. Tantum de nomine.

CAPUT POSTERIUS
ΠΡΑΓΜΑΤΟΛΟΓΙΚΟΝ.

Explicata, quanta potuimus brevitate, Etymologia vocis *Coralium*, ad ipſam rei conſiderationem pergimus. Cum autem bene multa in hoc argumento ſe offerant, placuit nobis *Plinium* Naturae illum Magiſtrum, quantum licet, ſequi, illiusque prolixiuscula verba uberius deducere, & notare, ſi quae nobis minus bene ſcripta ab illo videbuntur, aut plane non obſervata, deprehendentur. Sunt autem verba ejus seqq. (c)

Gignitur quidem (Coralium) *& in Rubro Mari ſed nigrius: item in Perſico vocatur Jace: laudatisſimum in* Gallico *ſinu circa Stoechades inſulas, & in Siculo circa Heliam & Drepanum. Naſcitur & apud Graviſcas, & ante Neapolin Campaniae: maximeque rubens, ſed molle, & ideo utilisſimum Erythris. Forma eſt ei fruticis, color viridis. Baccae ejus candidae ſub aqua ac molles: exemptae confeſtim durantur & rubeſcunt, quaſi corna ſativa ſpecie atque magnitudine. Ajunt tactu protinus lapideſcere, ſi vivat. Itaque occupari, evellique retibus, aut acri ferramento praecidi. Hac de cauſa curalium vocitatum interpretantur. Probatisſimum quam maxime rubens, & quam ramoſisſimum, nec ſcabroſum aut lapideum, vel rurſus inane aut concavum. Auctoritas baccarum ejus non minus Indorum viris quoque pretioſa eſt, quam foeminis noſtris uniones Indici. Aruſpices eorum vatesque imprimis religioſum id geſtamen amoliendis periculis arbitrantur. Itaque & decore & religione gaudent. Priusquam hoc noteſceret, Galli gladios, ſcuta, galeas adornabant eo. Nunc tanta penuria eſt vendibili merce, ut perquam raro cernatur in ſuo orbe. Surculi infantiae adalligati, tutelam habere creduntur. Contraque torminum ac veſicae & calculorum mala in pulverem*

(a) *in Lexic. Arab. p. 273.* (b) *p. 956.* (c) *libr. 32. c. 2. edit. Dalechamp.*

verem igne redacti, potique cum aqua ſomnum afferunt. Ignibus diu repugnant. Sed eodem medicamine ſaepius poto tradunt lienem quoque abſumi. Sanguinem rejicientibus excreantibusque medentur. Cinis eorum miſcetur oculorum medicamentis. Spisſat enim ac refrigerat. Hulcerum cava explet. cicatrices extenuat. Hactenus Plinii verba; nunc noſtram Meditationem ſubjungemus.

Gignitur quidem & in rubr. m. ſed nig.) Coralium in rubro mari naſci, teſtatur etiam (a) *Athanaſ. Kircherus* dicens ſe audivisſe a Mercatore, quod in rubro Mari tanta coraliorum copia ſit, *ut ne quidem piſcibus, multo minus urinatoribus tranſitus pateat.*

Putant equidem nonnulli colorem coraliorum, quae in hoc Mari gignuntur, eſſe rubrum, indeque hoc mare rubrum dictum fuisſe; ſed de hoc merito dubitari poteſt, cum & aliae denominationis hujus causſae ab aliis adferantur, quae tamen & ipſae ſunt ſubleſtae fidei. Videat qui volet, Geographos hac de controverſia diſceptantes, imprimis autem (b) *Ricciolum.* Dum autem Noſter pergit dicendo: *nigrius gigni in mari rubro*, quam alibi locorum, videtur id coraliorum genus intelligere, quod a (c) Dioſcoride adpellatur Antipathes, deſcriptum ab ipſo his verbis: *καὶ τὸ καλούμενον δὲ ἀντιπαθὲς κοράλλιον οἰκτέον ὑπάρχειν, εἰδικὴν ἔχον διαφορὰν. ἔστι δὲ τῇ μὲν χρόᾳ μέλαν δενδρίζον δὲ καὶ αὐτό.* i. e. *quod Antipathes vocatur, coralium quoque eſſe cenſendum eſt, ſed ſpecie tantummodo diſtans, eſt autem colore nigro, arboris & ipſum figura.* Quem ſequuntur etiam recentiores. *Nigrum* (verba ſunt Boethii) *rarius invenitur, olim antipathes dictum, quod nonnulli ebenum putant cum ebenum lignum ſit, ut ante paucos annos ab Hollandis Inſula quaedam deſerta inter Javam minorem & S. Laurentii Inſulam inventa, ſilvis ebeni arboribus abundans teſtatur*, haec *Boethius.* (d) Sed & non pauci ſunt qui hanc *Dioſcoritis* ſententiam rejiciunt dicentes, antipathen non in aqua ſed montibus oriri, aeque propter confugiunt ad *Cteſiam* apud *Stobaeum* dicentem: *ὄρος ἐστὶ τῆς Μυσίης ἔρυθρας καλούμενον. γεννᾶται δὲ ἐν αὐτῷ λίθος ἀντιπαθὴς προσονομαζόμενος, ὃ κάλλιστα ποιεῖ πρὸς ἄλφους, καὶ λέπρας δι' οἴνου τριβόμενος καὶ τοῖς πάχυσιν ἐπιτεθέμενος.* i. e. *Mons eſt Myſiae qui Erythras vocatur, in hoc lapis generatur qui antipathes dici-*

(a) *Mund. ſubter. l. 9. ſect. 3. c. 6. p. 159. 1.* (b) *Geogr. reform. lib. 10. c. 2.* (c) *libr. 5. c. 140.* (d) *Hiſt. Gemmarum lib. 2. p. 154.*

dicitur, hic in vino tritus & impoſitus potenter valet adverſus vitiligìnem, lepramque. Verum patet, hunc *Cteſiam* de alio quam *Dioſcoridis* lapide, loqui, quia hic ἐν αὐτῷ ὄρῳ, ille vero ſub aqua Pelagi generatur. Diſtinguendum igitur eſſe docent Eruditorum non pauci inter Antipathen coralium nigrum, de quo heic loci *Plinio*, & συνώνυμον lapidem montanum de quo *Cteſiae* ſermo eſt.

Item in Perſ. voc. Jace] dicitur hoc Mare communiter ſinus Perſicus junctum Mari rubro, cujus flexura eſt. Germ. dicitur **ein Meer Buſen**. Perſicus denominatur hic ſinus ab Accolis, qui Perſicae gentis ſemper fuerunt. Vid. (a) *Buchnerus*, & (b) *Bernh. Caeſius*, hodie appellatur *Mare Elcatiſ*, ut notat (c) *Schulteſius*. Jace quid ſiet equidem mihi nondum conſtat; Perſicae enim linguae, in quantum ea hodienum in Lexicis traditur, natales ſuos haec vox non debet. Nec etiam graecam linguam pro matre agnoſcit, adeo ut conjectura ſubeat, eam ut & alia in *Plinio Noſtro* multa in mendo jacere.

Laudatiſ. in Gall. ſic. circa Stoech.) Cod. Ant. legit pro Stoechades, *orchades*. Non ignoramus quidem circa Inſulas Orchades, *teſte Auſonio*, dari coralia, eaque rubro tincta colore; nihilominus tamen praeferendam eſſe vulgatam lectionem, opinor, quia his poſitis, prius ſcil. *in Gallico ſinu*, deſtruitur; nam orchades, ceu ut hodie vocantur *the Islas oforknai* quarum 30. *Pomponius* numerat, *teſte* (d) *Buchnero*, oceano boreali ſitae ſunt, hodieque parent Regi Angliae. Stoechades vero ſunt Inſulae Maſſilienſium littori vicinae, olim ab ordine *prote, meſe, hype*, dictae, jam vero conjunctim *les Isles d'or*, vel ut (e) *Cluverio* placet, *Isle de Eres*. Circa has autem Inſulas coralia ponderoſa ramoſaque naſci probant poſt Noſtrum *Plinium* etiam Moderni, (f) *Matthiol* (g) *Bernh. Caeſ.* (h) & *Anſh. Boethius*, & *Diſpenſat. Chem.* (h) ubi quotannis extrahere Maſſilienſes retibus ex imis Maris viſceribus *Auctor* recenſet.

Et in Sic. cir. Hel. & Drep.) In Exemp. Tolet. ita legitur: *in Siculo circa Culias & Drepanum.* Sed nobis magis arridet lectio vulgata, ideo, quia (i) *Plinius* ipſe id confirmat, ubi Helian vel Veliam opidum Siciliae pronunciat. (k) *Ricciolus* legit Veleia; nunc adpella-

tur

(a) Theſaur. Erud. Schol. (b) in Mineralogia lib. de Coral. (c) Geogr. lib. 1. c. 1. p. 125. edit. nov. (d) Theſ. Er. Schol. (e) Geog. l 2. c. 7. (f) Comment. in Dioſc. (g) loc. cit. (h) loc. alleg. (i) lib. 2. c. 49. (k) Nat. H. lib. 3. c. 5.

tur *piſciotta*. Idem *Plinius* (a) ait: Drepanum eſſe Siciliae promontorium, hodie *capo de Trapano* vocatum, Vid. *Schulteſ.* (b) heic invenitur parvum coralium, ſed pulcerrimi coloris. Lege ſi cupis Hiſtoire des Joyaux. (c)

Naſc. & ap. Grav. & ante Neap. Camp. max. rubens s. m.) Graviſcae (forte hoc eſt *Strabonis* (d) Traviſcium) eſt caſtellum novum Tuſciae inquit *Plinius*, (e) ita dictae, quod gravem aerem ſuſtinerent, Vid. *Min-ellium* ad Virg. (f) hodie vocatur *Monte alto*, vid Ricc. (g) Neapolis vel Napoli vero eſt Metropolis Regni, hodie nulli Italiae Civitati ulla in re cedens, aut ſecunda, ceu loquitur D. Tob. Wagner. (h) Haec propter loca inquit *Noſter*, naſcunrur coralia maxime rubentia, quod etiam ex probatisſimis Auctoribus confirmari, ſi quis poſtularet, posſet: verum quod mollia ſient, praeter *Noſtrum* neminem huc usque novi qui id adſerat. quin potius alii Auctores de Coraliis *Maris Tyrrheni* ſcribunt, invenire ibi locorum rubrum idque optimum, quod de mollibus minus recte dicitur, lege *Boet. de Lapid.* (i) Porro locis, quos *Noſter* recenſuit, ex hodiernis Navigationibus, aliisque Probatisſimorum Auctorum ſcriptis nonnulla, breviter tamen, addere placet. Circa Inſulam *Madagaſcar*, quae a *Plinio cerne*, & a quibusdam Luſitanorum *S. Laurentii* adpellata, quia hoc die an 1506. ab illis fuit detecta, & in plurimis *Africae* oris maxima in quantitate colliguntur coralia unde & tractus ille marinus *Baixas d' India* dictus, praeternavigantibus periculoſisſimus eſt, quia rami eorum naves vel frangunt vel ſaltim curſum earnm impediunt. Vid. *Navig. Holland.* (k)

In *Mari Byzertino* Regni Tunetani magna copia eorum colligitur *teſte Beguino*. (l) Similiter in *Mari Mediterraneo* ejusque partibus omnis generis naſci poſt *Diſpenſ. Chem.* etiam Auctores alii confirmant. Sic in *Mari Balearico* penes Inſulam *Majoricam* pulcerrimi coloris coralia naſci teſtatur *Hiſtoire des Joyaux*. (m) In *Mari Liguſtico* ſ. mar di Genoa ea naſci probat *Polyhiſtor Solin.* Ex *Mari Tusco* ſ. *Tyrrehno* coralia rubra captari probat *laud. Boet.*

(a) A

(*a*) *in Ind. Onomaſt.* (*b*) *ibid. c.*8. (*c*) *Geogr. l.*2. *c.*1. *p.*205. (*d*) *chap.* 4. *p.*74. (*e*) *Geogr. l.*5. *p.m.*217. (*f*) *N. H l.*3. *c.*5. (*g*) 10. *Æneid.* 184. (*h*) *Ind. Onomaſt.* (*i*) *Brev. Geog. p.* 74. (*k*) *lib.* 2. *c.* 153. (*l*) *prim. part.* 3. *Orient. Ind. c.*4. (*m*) *Tyrocin. Chem. l.* 2. *c.* 10.

(a) A latere *Sardiniae & Corſicae* coralia iis penes *Majoricam* Inſulam naſcentibus ſimilia naſci, habet *Hiſtorie des Ioyaux*. (b) Ad *caput bonae ſpei* acutisſima reperiri ait *Hug. Linſchottus*. (c) *Ansb*. quoque *Boet*. (d) in Inſula Tabarca magnam coraliorum copiam a populis illeic degentibus inveniri, addit, quae longa quidem, ſed colore pallido, id quod teſtatur *modo laudata Hiſtorie*. (f) De Indis ait Rhem. Fannius: (g)

Eſſodiunt alii terras, aurique metallum,
Aſt alii texunt tenuisſima tegmina lini,
Atque aurum viridi legitur, quae ſplendet Jaſpis,
Coraliique decus nitidi. —— ——

Nigrum Coralium ſive *Antipathes* ab Antiquitate dictum in *Galloecia* Hiſpaniae Provincia naſcitur, quemadmodum *Germanus ille Plinius, Gesnerus* ait (h) cujus figuram pulcre admodum ex *Lobelio* (i) proponit. Huic ſimile ex Regno Mauritaniae, *Savalia* dictum, adfertur, de quo *Boet*. (k) hujus cutim extimam ſi adimas & expolias, nigro colore pulcre nitet, adhaeret ſaxis in Mari.

Et ideo util. Erythris] haec lectio valde ſuſpecta eſt; cur enim *utilisſimum Erythris*, propter colorem nigriorem? minime, *probatisſimum*, inquit Auctor ipſe, *eſt rubens*, & Dioſc. (l) ἄριϛον δὲ ἐϛὶ τὸ πυῤῥὸν τῇ χρόᾳ καὶ ἐμφερὲς ἀνθερικῷ χρώματι, ἢ σάνδυκι κατακορεῖ, h. e. *praeſtantisſimum & optimum eſt rubens, colore antherici, aut ſandicis ſaturatae*. Et in arte medica vel nunquam vel rariſſime recipi ſolet, ceu teſtatur *Clarisſimus Schröderus*, (m) melius igitur ſonabit, ſi in hunc modum corrigitur: *& ideo vilisſimum Erythraeum*, nempe recenſitis huc usque locis, ex quibus coralia rubra captari ſolent, tandem colligit, *vilisſimum eſſe erythraeum* ſcil. *propter colorem*, quo ipſo conſentit Subtilisſimus Athanaſ. Kircherus, dum ait: (n) *coralium nigrum eſt nullius pretii, modo raritatem excipias.*

Forma eſt ei frut.) Multi ex Veteribus & Recentioribus Hiſtoricis aeque ac Poetis ſunt, qui coralium inter Plantas referunt. Ex Veteribus fere primus eſt *Orpheus* (o) qui id χλωρὴν βοτάνην; cui ſuf-

B fra-

(*a*) *chap.4.p.75.* (*b*) *l.alleg.p.161.* (*c*) *l.cit.p.74.* (*d*) *p.3. Orient. Ind. c.1.* (*e*) *l.cit.* (*f*) *loc.cit.* (*g*) *e Dionyſ.verſ.1027.* (*h*) *de fig. Lap.10.* (*i*) *Hiſt. Lugd.p.1376.* (*k*) *de gemmis l.2.c.157.* (*l*) *lib.5.c.139.* (*m*) *Pharm. Med. Chem.l.3.p.332.* (*n*) *lib.9.ſect.3.c.6.p.159.1.* (*o*) *lib. de Lap. verſ.8.*

ſragatur *Ovid.* (a) qui *mollem herbam* nominat, quos ſequuntur multi alii, coralium vel *vimen* vel *plantam* &c. adpellantes, quae autem ut quivis, modo non ſiet ſtupidi ingenii, judicare poteſt, a natura plantae multum abhorrent. Non enim ſequitur, coralium plantae habet formam ſive figuram, idcirco eſt planta, cum & interdum lapides plantarum ſpeciem repraeſentantes inveniantur, quales ſe vidiſſe ad Albim prope oſtium Tangrae memorat Encelius(b) quis autem tam abſurdus eſſet, qui lapides hos inter plantas numerare vellet? Et quis eſt? cui non nota ludens Natura varias lapidibus & Plantis formas imprimis, quae & Artifices in ſtuporem rapiunt; Sic nuper Excell. Dn. Poſner P. P. Praeceptor meus ſummopere obſervandus (*cui magnam ſtudii mei Phyſici partem poſt Deum acceptam refero*) *mihi* radicem Poeoniae exacte repraeſentantem Neptunum curvo poplite *monſtravit*; quidni idem in Coraliis contingat? Hoc autem ut credi facilius poſſet, *Orpheus* coralia foliis ornavit, quod certe ſupra fidem, cum nemo, quod ſciam poſt Orpheum id ſe vidiſſe adfirmare potuerit, ita autem *Orph.* (c)

ἤτοι μὲν ὁ φύλλα περιφθινύθουσιν ἀφ' ἅλμης
αὐτὴ δ' ἐν βένθεσιν ὑπὸ φλοίσβιο θαλάσσης
νήχεται, ὄφρα κύματ' ἀποπτύσοι αἰγιαλὸν δὲ i. e.

Etenim folia corrumpuntur a mari
Ipſa vero in profunditatibus ſub ſpuma maris
Natat, ut fluctus expuat ad littus.

Ex his colligimus ea nec cerni poſſe, etiamſi dentur, cum a mari corrupta ſub viſum non cadant, quippe profundo aequoris abdita, ſi ſenio marcida & a mari conſumta, contabeſcunt, ceu Orpheus dicit, teſtis oculatus dari nequit. Quare folia in fundo maris nunquam viſa, multo minus in littore. Orpheus & Ovidius quidem facile forte poterunt impetrare veniam, cum Poetae ſint, quibus in multis non eſt credendum juxta proverbium πολλὰ ψεύδονται ἀοιδοί. Vel juxta tritum illud:

Multa quidem ſcribunt, ſed non credenda Poetae.

Sed mirum *veritatis Amanti* videtur a *Dioſcoride* alias Viro exercitato vo-

(a) *Ariſt.* 15. *Metam.* 417. (b) *lib. de re metall. lib.* 3. *c.* 3. (c) *loc. cit. verſ.* 12. (d) *Metaph. l.* 1. *c.* 2. *pag.* 129.

to vocari frutex (a) dicente: *τὸ δὲ κοράλιον, ὅπερ ἔνιοι λιθόδενδρον ἐκάλεσαν δοκεῖ μὲν εἶναι φυτὸν, ἐνάλιον*, i. e. *coralium quod aliqui lapid-arborem adpellarunt marinum eſſe fruticem conſtat*; cum a nobilisſimis Auctorum inter Gemmas referatur; & quaeſo, ſi frutex eſt, quur non faciunt de ima parte ſcil. radice mentionem, cujus autem ex Recentioribus ne fibram quidem ullus adſpexit. Vid. *Bauhinus*. (b) Heic non obſtat quod quidam dicunt, prius coralia eſſe ligna vel frutices, deinde autem virtute aquae fieri lapides, id quod lubenter concedo quasdam aquas ligna donare lapidea duritie, fit id etiam in noſtra vicinia ad rivum limites pagi **Welniz** alluentem, & ex fonte (**der Fürſten-Brunn** dicto) profluentem; non putandum ideo eſt, coralii quoque lapidem aliquando fuiſſe lignum, cujus rei argumentum eſt quod ex lapide coctili quandoque naſcantur, unde frutex naſci minime poteſt ob ſolidam firmamque ejus ſubſtantiam. Si autem aliquando frutex adpellatur, tantum externae formae & ſimilitudini adſcribendum eſt, proprie loquendo non eſt frutex.

Heic non poſſum quin mentionem faciam originis coraliorum. *Paracelſus* dicit: (c) *coralia oriuntur ex tenaci reſina ſ. glutine, quod ipſorum proprium*. Idem etiam *Albertus* & *Averrhoes* materiam conſtituerunt viſcoſam & lutulentam. *Ariſtoteles* autem ſumit pro *materia exhalationem ſiccam igneſcentem, terrae viſceribus*, vel alio quodam corpore *concluſam* (d). Haec talia verba a multis prorſus exploduntur; hinc maximus disſenſus eſt inter *Ariſtotileos* ipſos, qui omnes non contenti ſunt verbis Ariſtotelis. Verum nobis non adeo abſurda videntur, modo recte explicentur. Nam uti conſtat in illis locis, in quibus lapides generantur, cottidie copiam exhalationum oriri circumvagantium, ita etiam in mari has circa ſcopulos fieri extra controverſiam eſt. Oriuntur nimirum in cavernoſis ſcopulis in mari exiſtentibus ex ſale, ſulphure vel nitro; Et ſi haec exhalationes aliquamdiu in cavernis illis concluſae detinentur, ab *ambiente humido* alterantur, & hoc modo in lutulentam materiam mutantur; dein exhalante humore ex *propria ſiccitate*, & Maris *frigore* condenſata mutatur in ſiccam corporaturam ejusmodi uti in coraliis cernimus. His praeſuppoſitis utramque & *Paracelſi* & *Ariſtotelis*

 ſen-

(a) *lib. 5. c. 139.* (b) *Hiſt. Plant. l. 37. c. 33.* (c) *de glut. Elem. aq.* (d) *lib. 4. Meteor.*

ſententiam poſſumus admittere, modo diſtinguatur inter materiam remotam, exhalationem ſc. & proximam, jam diſpoſitam, quae aliquandiu in cavernis detenta fuit. Ex his luce meridiana clarius cauſſa efficiens coraliorū patet, quae eſt frigus ambiens materiā lutulentam, id quod experientia & ratione poſſumus probare. Nihil autē nos movet, quicquid alii dicant, de vi in coraliis contenta, de Spiritu lapidifico, vi lapideſcente, quae nihil niſi ſonus in auribus; vel uti ſupra laudatus *Vir Excell. deq. Philoſophia Peripatetica meritiſſimus Dominus Caſparus Poſnerus* in diſcurſu Phyſico privato, dicit: *Si cauſſa efficiens eſt vis in illis contenta, quaeritur, quaenam ſit illa vis? cujus rationis? profecto verba ſunt praetereaque nihil.*

Color viridis] Heic Noſter de coralii immaturitate ſermonem habet, cum coralium ubi ad ſuam perfectionem pervenit talem colorem viridem nunquam habeat. *Confer Calceol.* (a) & *VVormii* (b) *Muſea.* Vel heic loquitur de muſco quo tanquam cortice coralium implicatum conſpicitur ubi aquis exemptum, hinc non mirum eſt virentis ſtirpis videntibus adparere. Et inde factum eſſe putamus, quod id *Antiquitas* virentem herbam eſſe dixerit, muſcum adhaerentem ad ipſius ſubſtantiam pertinere, rata, quem ſane illius partem nemo intelligens dixerit. Sed his in praeſens miſſis, ad proprios accedamus colores, quorum tres ab optimis Auctorum numerantur, *ruber* nempe *albus*, & *niger*. Vid. *Joh. Ad. VVeberum.* (c)

Natura colorum omnium in *Philoſophia* difficillima cenſetur a *Scaligero*, (d) latet eorum natura in profundiſſima caligine humanae inſcitiae. Et ut colores viſui manifeſti, ſic colorum eſſentiae obſcurae intellectui. Et *Vir ſeculorum memoriae dignisſimus Ath. Kircherus*: (e) *Colorum ut claram ſenſui, ſic obſcuram intellectui eſſe eſſentiam* adfirmat; *tantam namque eorum multitudinem; tamque multiplicem eorum per reciprocae miſtionis conſortium varietatem, ut in nullo operum ſuorum natura uberius, aut majori ambitioni opes ſuas commendasſe videri posſit.* Teſtatur etiam *Joh. Bapt. Porta*: (f) *ſe in eorum cauſſis inquirendis plus 40. annos exilem admodum progreſſum poſuiſſe*; ut non mirum ſit, ſi de colorum natura, tot variorum Aucto-

rum

(a) *Sect. 1. p. 9. & 10.* (b) *p. 232.* (c) *de art. diſcurendi p. 545.* (d) *Exercitt. 125.* §. 1. §. 4. & §. 20. (e) *Mund. Subt. l. 8. ſ. 1. c. 5.* (f) *in Prooemio lib. 9. de Color. ex refract.*

rum ſententiae legantur, quos autem heic loci recenſere non vacat. Sufficere interim nobis videtur, ſi in tanto ſententiarum divortio dicamus cum *Celeberrimo νῦν ἐν ἁγίοις Hornejo* (a) Lapidum colorem *rubeum*, quem modo coraliorum eſſe diximus, conſtitui, cum ſuper perſpicuum luminoſum infunditur fumus tenuis ſuccenſus: *Album* vero ex partibus perſpicuis in alia re determinatis: *Nigrum* denique ex partibus opacis, oriri. *Rubrum* coralium prae ceteris ramorum magnitudine, & multitudine inſtar arboris gaudet. Ajunt in quodam templo *Urbis Genuae* imaginem Chriſti cruci affixi ex coralio rubro factam haberi, duos cubitos longi; quin & Boet. (b) *coralium rubrum ad hominis fere longitudinem excreſcere*, adfirmat. Hoc quandoque ex aliis, quibus adhaeret, naſcitur, ceu *Wormius* (c) Piſis in Italia eleganter cranio humano, & *Auctor Hiſtoriae de gemmis* enſi innatum, vidit. Hoc ſi igni adplicetur, in cruſtas ſeparatur ejus ſubſtantia, quarum una alteram veſtit, ut tunicae in caepis, quamvis id aliquando non adpareat.

Album quod lacte ſuffuſum vel niveo candore albeſcere credas, ob excellentem candorem, a multis rubro, ſed perperam, praefertur; ſolidum eſt alias, & cavitatibus caret, de quo tamen *Noſter* nihil habet. *Nigrum* denique ſuccedit, *Antipathes* dictum, ceu ſupra monuimus; hoc quidam ebenum putant eſſe, ſed falluntur egregie. *Vid. Boet.* (d)

Baccae ejus candidae] hoc nec *Plinio* nec *aliis etiam jurantibus* crediderim, nam quis unquam coraliorum baccas vidit? certe *Kircherus*, etſi exactiſſime coraliorum naturam fuerit ſcrutatus, nunquam. Et *Celeberrimus VVormius* hac de re ita (e) diſſerit: rubrum coralium, habet ramos inſtar arboris foliis & fructibus deſtitutae. *Nobilisſimus* itidem *Dominus Chriſtophorus* Weikmann/ *Senatoria Reip. Ulmenſis Dignitate Gravisſimus*, licet rariſſima in ſuo ἐξωτικοθαυματουργηματοταμείῳ de coraliis posſideat, tamen de baccis eorum nihil habet. Baccae ribibus & ceraſis ſimiles, quibus Virgines collum & brachia ornant, non naſcuntur in Mari, ſed formantur torno, dein *Smyridis lapidis* pulvere, & terra quadam ex *Tripoli Africae* advecta perpolitis laeves redduntur, ſplendoremque capiunt, Vid. *Bauh.* (f)

 Ajunt

(a) *Nat. Phil. 9. §. 31.* (b) *loc. cit.* (c) *loc. cit.* (d) *loc. alleg.* (e) *Muſ. p. 231.* (f) *Hiſt. Plant. l. 39. c. 33.*

Ajunt protinus lapideſ. ſi vi.) parili modo *Naſo* canit: (a)

Sic & coralium quo primum contigit auras
Tempore dureſcit, mollis fuit herba ſub undis.

Hunc ſecuti ſunt ex veteribus fere omnes; Ex Recentioribus defendunt, *Henr. Nollius*, (b) *Joh. Magirus*, (c) & forſan etiam *Olaus VVormius*.(d) Et videat *Cardanus* quam vera ſint quae ſcripſit? (e) *concreſcit & duratur aere* (coralium) *poſtquam e Mari extractus fuerit, quoniam aer quod tenue eſt illius humidum ſiccat, & frigus etiam partes cogit: refrigeratur autem ab aëre etiam aeſtate media* &c. Et absque dubio multi adhuc in hoc errore haerent. Sed quam haec ſimiliaque mereantur fidem ex optimis hujus rei teſtibus & Scrutatoribus asſerta noſtra communicabimus.

Generoſus Dominus Joh. Baptiſta de Nicole, Eques Masſilienſis & Regius Piſcationis coraliorum in Regno Thunetano Praefectus me in hac opinione conformavit: *quod cum anno* 1505. *menſe Julio in Mari Bizertino Regni illius Thunetani, piſcationem inſtituisſet, cupiditate naturae coraliorum inveſtigandae adductus, juvenem funibus ſufficienter longis alligatum & pondere viginti quinque librarum in utraque manu, ad deſcenſum liberiorem in mare iſtud centum perdicas profundum demiſerit, ipſique in mandatis dederit, coralium ut evelleret, & inter evellendum curioſe attenteque obſervaret, an molle durumve eſſet. Qui ubi rurſus aſcendisſet, utraque manu coralium attulit, conſtanterque aſſeruerit, illud non minus ſub mari, quam ſupra illud, durum eſſe: ſeque cum ad octo perdicas, aut circiter prope fundum maris appulisſet, magnam ibi frigoris vim ſenſisſe. Immo quod ipſemet etiam dum relationi ejus fidem adeo non haberet, in mare cum retia, quibus coralia piſcari ſolent, contrahenda esſent, antequam in ipſum aërem efferentur, ad profunditatem unius perdicae ſe immerſerit, & coralium reti adhaerens manu prehenderit id tum aeque durum ac cum aeri externo eſſet expoſitum obſervaſſe. Idem etiam confirmat Ong de la Proties, Nobilis Lugd. qui anno* 1613. *ab ejusmodi piſcatione reverſus eſt.* Haec *Beguinus*

(a) *15. Metam.* 416. (b) *Phyſ. Herm. p.* 366. (c) *Phyſiol. l.* 5. *c.* 2. *p.* 365. (d) *Muſ. p.* 231. (e) *lib.* 7. *ſubtil. f.* 211.

tu. (a) Ex his duobus experimentis vidimus coralia etiam ſub Mari dura exiſtere; percipimus etiam quo tempore anni piſcaturae coraliorum inſtituantur, nempe circa *Julium* vel ab initio *Aprilis* usque ad finem *Julii.*

Itaque oc. evel. ret. a. ac. f. prae.) Ita Antiquitas coraliorum capturas, talemque modo dictus de Nicole, inſtituit. Si autem coralium ſcopulis in fundo Maris adhaeret cavis, Piſcatores tali utuntur artificio, quale nobis Hiſtoire (b) praeſcribit his verbis: *Ils ajuſtent deux gros cheurons en croix, & mettent un gros morceau de plomb au milieu pourle faire aller au fond. Puis ils attachent du chanure touffu autour des cheurons, qu' ils tortillent negligemment gros comme le pouce & attrachent ce bois à deux cordes, dont l' une pend à la prôue & lautre à la poupe du batteau. En ſuitte ils laiſſent aller ce bois au courant le long de ces roches, & le chanure s' entortillant autour du coral, Mais arrachant ainſi de force le coral, il en tombe autant dans la mer qu' il en peuuent tirer dehors.* quod latine ita ſonat: *duos conjungunt decuſſatim trabes, ponuntque in crucis hujus medium plumbi maſſam, ut ſe in mare demittat, Dein cannabe flexo trabes involvunt negligenter tamen craſſitudine pollicis, & ut pendeat a navis puppi & prora eas funibus duobus alligant. Poſtea ut ſcopulos tangant, trabes has labi ſinunt, & coralia involvunt ſe in cannabem, ea poſtea ut educantur, quandoque 15. imo 20. navibus opus eſt, dum autem educunt dimidia pars iterum fundum petit.*

Probatisſ. q. m. rubens) in hoc fere omnes conſentiunt, rubrum coralium eſſe optimum praeſtantisſimumq;, non quidem qua colorem, nam & hoc reliqua ſuperat, ſed & qua virtutem, quave proprietates. Sic loquitur Dioſcorides: *ἄριστον δὲ ἐστι τὸ πυῤῥὸν τῇ χρόᾳ καὶ ἐμφερὲς ἀνθερικῷ χρώματι ἢ σάνδικι κατακορεῖ*, quod ita vertit *Ruellius*: *laudatisſimum rubens, colore antherico, aut ſandicis ſaturatae.* (c) *Cornarius ἀντὶ ἀνθερικῷ* ſcribit *σανδαράχα*. Placet haec conjectura *Saraceno*, idque quod *Serapio* ita legit.

Ceterum haec verba *Dioſcoridis* diverſitatem opinionum nonnullis pepererunt, dum alii voluerunt, eum per colorem antherici intel-

(a) *Nat. Ph.* 9. § 31. (b) *loc. cit.* (c) *loc. ſupra alleg.*

intellectum velle colorem rubrum, ex hac ratione, quia de optimo coraliorum colore, qui ſit rubens, *colore antherici* differit; alii colorem candidum, qualis eſt in flore Aſphodeli, qui Græcis ἀνθέρικος dicitur, Latinis *Albucum*: Dicam quod ſentio, nimirum *quia Dioſcorides vult optimum eſſe colorem coraliorum talem, qualis conſpicitur in flore aſphodeli, omnino videtur intellexiſſe colorem candidum, qui modo dicti floris color eſt, non rubens vel alius.*

Et quam ramoſ. nec ſcab. aut lapid. l. r. man. a. concav.) Pergit *Plinius* recenſendo quomodo coralium eſſe deberet conſtitutum, ut mereatur nomen optimi: nempe I. *habeat multos elegantes ramos*, & ceu *Serapio* & *Dioſcoides* loquuntur, ut ſe faſtiget more arboris caſſiae ligneae, tale legis arte depictum oſtendit *Calceol.* (a) II. *non ſiet ſcabroſum* ſed e contrario laeve. *Tol. Cod.* heic *teſte Pinciano*, legit *ſcabioſum*, quod propius lectioni accedit Dioſcodis qui habet ψωρὸν, quod vocabulum Græcis idem ac latinis *ſcabioſum* eſt. III. *nec lapideum* ſc. non nimium durum ſit ceu lapis alius, ſed qui cito frangitur partesque aequabiles habet optimum eſt, inquit *Serapio.* IV. *vel inane aut concavum*, hoc eſt nec totum fiſtuloſum, peroſum aut lacunoſum.

Auctor baccar. e. n. m. Ind. v. q. p. e. q. fem. n. uniones Ind.) fere aequalia paullo ſupra protulit verba. *quantum*, inquit, *apud nos Indicis margaritis, tantum apud Indos in Coralio.* Jam maxime miramur quod Viri Docti coralia in tanto aeſtimio non habeant ac alias gemmas, hanc fere tantum ob causſam, quod ubique loci copia eorum adſit: at vero licet nobiscum vili emantur pretio, minime tamen negandum, lapides pretioſos, gemmasque ac alios esſe, niſi, quod abſurdi eſſet ingenii, credamus, margaritas quoque apud Indos non eſſe gemmas, quia illas ad nauſeam fere poſſideant. Talis auctoritas coraliorum ap. *Gentes orientales* etiam hodie adhuc viget, ita enim ſcribit *Bartholino Joh. Vesling.* (b) *mihi certum in pretio Arabibus & Indis, Perſisque colorem eſſe rubrum, ut etiam coralia rubra nobilioribus mercibus commutent ad colli, brachiorum, manum, pedum, item in mulieribus ornatum.* Apud nos expeditur a feminis virginibusque, conficientibus lineas ex coraliis intermixtis nonnunquam baccis argenteis, easque collis vel mani-

(a) *Muſ. p. 1.* (b) *Epiſt. Med. cent. 1. epiſt. 27. p. 117.*

manibus adalligant; & rubra ceteris omnibus praeferuntur; quo enim rubicundiora, eo cariora. Olim pluris aeſtimabantur, jam vero rubri coralii praeparati libra tribus thaleris venditur, & albi duobus. (a) Coralium racemoſum quod ab iis Technicothecas inſtruentibus ad oſtentationem ſervatur tanti fit, quanti ab eorum adpetitu aeſtimatur. *Vidi* (inquit Boet.) *fruticem multis ramis ornatum qui centum thaleris aeſtimatus fuit.* (b)

Aruſpices eorum Vat. imp. rel. i.g. amol. peri. arb.) Sic Aruſpices Indici coralia geſtabant, non quidem ornatus tantummodo gratia, ſed & ut omnia mala ab illis removeant; putabant enim, tantam ea virtutem habere ut quicquid facerent exinde, id inter ſalutaria opera numerari poſſit, de quibus geſtaminibus legi meretur *Solin.*

Ap. hos ſuperſtitio adeo magna erat, ut fulmina ab aedibus, fructibusque abvertere, quin & ſe ipſos his bene monitos tutos eſſe poſſe, crederent. Hanc ſuperſtitionem *Chriſtianorum quidam* arripere, ſuisque libris inſerere auſi fuerunt, inter quos *Albert. Magnus* & *Paracelſus* non infimi ſunt. Recte autem *Clariſſimus Libavius* hanc doctrinam tanquam *ex anicularum circulis* hauſtam reprobavit, & *Lobelius* inter fabulas non doctos decentes Viros numeravit, quia absque ullo fundamento, imo ratione & experientia profertur. *Sic mihi homo fide dignus narravit quod abhinc paucis annis in urbe Sueviae quadam linea coraliorum in conclavi tabulato pendens a fulmine caelitus fuerint tacta*, talismodi exempla adferrem plura ſi necesſitas poſtularet; Sed heic non moramur, ſed ea facilitate refutamus ſententiam *Franc. Ruei* ea omnia mala arcere aſſerentis, *ut hinc* (addit) *ſuſpicantum ſit prudentem vetuſtatem coralio per diverſas formas effigiato, & ex ordine infilato preces marianas docuiſſe numerare.* (c) Et ita apud noſtros Papaeos ceu apud Indos coralium & decore & religione gaudet; qui plura cupit legat *Georg. Agric.* (d)

Priusquam noteſc.) Doctis Viris *Chiffletii Medici Celeberrimi* lectio magis placet legentis: *priusquam hoc nos deceret Galli gladios, ſcuta & galeas adornabant eo non tantum ornamenti cauſſa, ſed ut in acie tuti eſſe posſint.* Vid. *Agric.* (e)

(a) Die erneurte *Medicinal* und Apotheker Ordnung Herzog Joh. Ernſten. *p.* 69 (*b*) *loc. cit. p.* 158. (*c*) *lib.* 2. *de gemmis c.* 19. (*d*) *de nat. foſſ. l.* 4. *f.* 248. (*e*) *loc cit.*

Nunc tant. penur.) Univerſae coraliorum nomen Europae pervulgatum eſt, ut pueri etiam de hoc ſciant, coralio usque adeo Italiam abundare dicit *Matthiolus* (a) ut fere nullibi reperiantur infantuli, qui non geſtent coraliorum lineas. Idem etiam de *Batavia* gloriantur. *Suevis, Francis, Thuringis, & Saxonibus* non infrequens eſt geſtamen tantum ſit, & indicium virginitatis. Atqui ſi libidinem, ceu nonnulli, falſo tamen perhibent, excitarent, apud illas praeteritae monimentum erit virginitatis, quo rei amisſae memoria conſervatur.

Surcul. inf. ad allig.) Jam videbimus nonnullas qualitates, quas Auctor coraliis tribuit, earum causſas, quantum per *materiae difficultatem*, & *ingenii tenuitatem* licebit, evoluturi. In antecesſum autem placet praemittere quaeſtionem, nimirum *qua vi coralia noſtra operentur; ſintne illi effectus manifeſti, an vero occulti?* nam maximus hac de re deprehenditur diſſenſus inter Eruditos. Et vero plerosque, ſi libri evolventur, videbis ad inane occultarum κρυπτόφυγτον qualitatum, ſe recipere aſſerentes coralia modo occulto in corporibus agere. Sed neſcio, quur has occultas manifeſtis adjungant, ſi enim ratione non penetrabiles ſunt cur non relinquuntur in deciſae? exterminentur illae qualitates ex Phyſica Ariſtotelica, quae non ſunt ſenſiles; Adpoſite certe *Acutisſimus VVatſonius* (b) *cui bono haecce adjiciuntur, an ut diligentiorem inquiſitorem exoitent, an ut credat Lector hoc modo ſolutam eſſe difficultatem.* Nominant igitur eas qualitates occultas, & idem eſt ac ſi dicerent, ſe ignorare earum causſas, ſic e g. non eſt vis occulta quando dicunt *Taurum miteſcere fico adſtrictum*; nam nec mirum, nec quoad alia animalia rarum eſt. *Miteſcere* tenetur, cum alligatum ſe advertit; Et ſi verum eſt quod tantum ad ficum id contingat, cauſſa eſſe poteſt, quod talem odorem ibi ſentiat. Qui quod vel delectabilis, vel contrarius ſit nimium, ei quietem imperet. Huc referunt *Sympathias & Antipathias rerum* quarum non nulli integrũ catalogum recenſent, sed *industria & ſtudio ſingulari Clarisſimorum quorundam Philoſophorum luce clarius demonſtratum eſt* in illis non adparere occultas qualitates eſſe ponendas loco cauſſarum. Ex multis pauca adducemus; Antidhac ſc. Antipathiae adſcriptum, quod, e g, vitis juxta ficum plantata arefiat.

(a) *in Comment. ad Dioſc.* (b) *Unio Sapient. p. 2. ſ. 3. p. 354.*

fiat. Sed eadem eſt, quae eſt, cur e.g. infans, cui cibus in patina cum gulone adponitur, moriatur. Nam quemadmodum gulo omne alimentum vel ſaltim neceſsarium ſubtrahit, ita parili modo ficus maximam partem ſucci qui eſt in terra, & ad flores vitis requiritur attrahit, illique ſubducit. Sic novi quendam *ſonum ſerrarum* deteſtari, quendum *vaporem ab aqua calida*, virginem *cepam* in cibo non ferre poſse, aliam *feles*, aliam *mures* averſari. Sed heic operatio qualitatum occultarum non adferenda, ſed conſuetudo, asſuefactio ſpontanea, imaginationis ſive propriae ſive maternae vis. Sic quidam ad caſus inexplicabiles referunt, quod *procellae ventorum oriantur*, cum *quis ſibi mortem conſciſcit*: rarum contingens; ſi vero talis procella & iſtiusmodi mors ſimul eveniant, tanquam concomitantia non vero uti cauſsa & effectus attendantur. Contingens eſt ut melancholicus magis turbetur *diebus triſtibus*, & *inclementi tempeſtate*, & currat ad reſtem, fremente procella, quae & antecedere & obitum illius inſequi poteſt. Sic & de *Venenis* quorum multa diverſas habere ab Elementorum facultatibus proprietates, dicunt, ante annos 14. *Excell. D. Valent. Henricus Voglerus, P. P. Helmſt. in disſert. quad. de Venenis oculariter demonſtravit, omnia venena agere vi manifeſta*, quam Lector videre poteſt. *Et ſperamus progreſſu temporis multas adhuc qualitates hodienum ignotas retectum iri, ubi jam multae retectae ſunt*, ceu vovet *ſupra laudatus* VIR *Excellentisſ. Caſparus Poſnerus in Collegio Phyſico MS.*

Igitur non eſt mihi religio, quin hanc deſeram doctrinam, cujus fundamenta tam lubrica ſunt. Supponunt enim in quolibet corpore dari formam aliquam occultam a temperamento aut potentiis ſenſibilibus, quibus conſtant, diſtinctam, tot mirabilium actionum in ſimilaribus cauſsas; ceu videre eſt tum apud alios, tum imprimis *Fernel.* (a) & *Sennertum* (b) *ejusque Diſcipulum* (c) *Sperlingium*, *praecipuos hujus ſententiae Patronos.* Verum qui ita ſtatuunt, *illos nos ſublato cum riſu digito deſeremus cum verbo* PROBA, ut liceat lepide jorcari cum *Magno Hoffmanno.* (d) Nam quicquid illi de occulto coraliorum agendi modo in corporibus dicunt, non ſufficiet tam grandi paradoxo probando, cum omnes operationes illorum ad ma-

 nifeſtas

(a) lib. 1. de abdit. rer. cauſ. c. 4. (b) Inſt. l. 5. p. 1. ſ. 2. c. 2. (c) Inſtit. alibique. (d) lib. 2. de Med. offic. c. 162. §. 142.

nifeſtas qualitates referri debeant & poſſint, quod quidem nos in progreſſu demonſtrabimus, ut adeo non neceſſe habeamus novas formas in rerum naturam introducere. Verum ut dicamus quod res eſt, tota illa, ni fallor, componi poterit, ſi terminum *occultarum qualitatum* ab homonymia, qua laborat liberaverimus, nimirum duplicis generis dantur occultae qualitates.

Prioris quidem ἁπλῶς ſ. ſimpliciter, quae mixtionem elementorum omnem ſuperant, proprietate abdita agunt, & neque ſenſibus neque ratione, ſed ſola experientia deprehenduntur, *Poſterioris* κατά τι ſ. ſecundum quid, quando ſcil. vires certo reſpectu, quod cognitionem alicujus, vel modum cognoſcendi accuratiorem occultae ſunt. Prioris generis occultas qualitates dari negamus; poſterioris eſſe ut lubenter concedimus, ita aliquorum rationes trademus. Sic communiter dicuntur *coralia de collis infantulorum ſuſpenſa ipſos a nocturno terrore defendere.* Heic ſtatim alii ad occultam vim, *aſylum ignorantiae* confuguint, in tenebris oberrant, cum tamen regia via incedenda detur, qualis eſt, ſal coraliorum, in quem pene tota abeunt qui etiam nonnihil admixti nitri & ſulphuris habet, vi caloris attractus, exiccat, adſtringit & refrigerat humores, quibus abundant infantuli, varios, ne caput occupare, in eoq; turbas excitare poſſint. Quantum autem ⊖i ſulphuri vel ☽o virtutis inſit alio loco, *ſi Deus vitam concedet*, oſtendemus. Faciunt aliquid (ut ex obſervationibus Medicis hoc in praeſenti adducamus,) ad dentitionem, ſed tantum per accidens, quia ſi infantes eos mordere tentent, gingivae frequenti morſu redduntur tenuiores, ut facilius poſtea, & ſine dolore per eas dentes prodeant. Vix autem riſum tenere potui, cum *Philoſophum illum per ignem* Joh. Bapt. van Helmont ita jactitantem legiſſem. *Obſervavi*, ait, *quam invito hunc lapidem Diabolus toleret, quod noverim Nobilem incantatum, cui etſi armillaria e globulis corallinis fortiter alligarentur, ſtatim tamen inde diſſilirent.* (a) Quaeſo enim qualis heic inter agens & patiens proportio? ſcilicet, inter coralium tanquam agens materiale, & diabolum patiens ſpirituale? nulla profecto; rejicimus itaque jure hujus παραδοξολόγου figmentum. Quidam his *odium inter domeſticos excitatum propulſare, & pericula fluminum declinare* nituntur. Verum vana ſunt, & nullum exemplum

(a) *de conceptis p. m.* 586.

emplum extat; imo experientia contrarium docet, quippe *paucis abhinc annis puella coraliis ornata, accedens Danubium maculas ex veſtibus exterſura in fluvium abrepta, & ſubmerſa fuit.* Deinde etiam arbores herbaeque coraliorum pulvere adſperſae, tutelam habere a locuſtis, erucis & muribus dicuntur, ſed hoc nomine *Alardus Amſtelrodamus* omni ridendum *Albertum* M. exponit, *ſtulte*, inquit, *faceret qui ſupra pomiferas arbores, vel herbas fabaceas coralia in pulverem redacta adſpergeret, pomorum copiam ſperas.*

Superſtitioſum & hoc eſt, ſi mulierculae *novem coraliorum* baccas ab inlibata virgine efflagitantes collo contra Roſam (**daß geſegnet** ceu Suevi loquuntur) adalligant.

Hoc peculiare *Levin. Lemnius* (a) in coralio obſervavit, quod ſi a viro geſtetur, elegantius quam a femina rubeat, id quod praecipue ideo fit 1. quia Vir majori calore quam femina praedidus. 2. quia femina multis eſt obnoxia morbis, & ex ejus corpore non tam puri vapores, ac ex viri exhalent; ideo coralia coloris mutationem pati multorum capere poteſt. Item quilibet experimentum capere poteſt, ſi ab homine geſtetur, & coralium nativo colore amiſſo palleſcere incipiat, certiſſimum eſt, morbum inſtare, hinc a multis *Vates* adpellatur, quia morbos futuros coloris mutatione oſtendit. Cauſſa autem eſt haec, quia eo tempore illius hominis corpus κακοχυμία ſ. pravo humore ſcatet, hinc aliter fieri non poteſt, quam ut pro re nata halitus ex corpore exſpirantes rutilantem coralii colorem miſere inquinent, citra ullum ejus ſenſum propter coralii & vaporis exhalantes diverſam κρᾶσιν ſ. temperiem.

Deinde pergit *Auctor* recenſendo virtutes, nempe ut *avertat veſicae mala, calculum pellat, lienem abſumat, ſomnum conciliet, cava hulcerum expleat, & cicatrices extenuet.* Sed quia haec ad forum praeſens non pertinent, iccirco praetermittimus hac vice, & unico verbo dicimus, *quod ſemper coraliis plus tribuatur, quam in viribus eorum eſt*; qua in opinione me confirmat *Muſarum Medicarum decus & ornamentum egregium, Vir incomparabilis induſtriae, Magnif. VIR Dominus D. Georg. VVolffgangus VVedelius h. t. Academiae hujus Rector, Dominus Patronus & Praeceptor honoratiſſimus*, dum eleganter *in diſcurſibus publ.* pronunciavit: *medicamenta ex coraliis*

 facta

(a) *lib. 2. Occult. N. Mirac. 22.*

facta plus habere in ſpe quam in re. Atqui haec de coraliis in praeſens ſufficiant. Multa quidem reſtant quae tamen anguſtae nimis chartae includi nequivere: Ea vero huc ſpectantia plura, deque *coraliorum aquis, ſpiritibus, ſalibus, tinctura, oleo Syrapo, aliisque variis Chemicis praeparationibus* alibi locorum latius ſi Deus voluerit, perſequas. *Interim DEO MEO gratias ago maximas, quod labores meos juvare benigne, & felici fortunare voluerit ſucceſſu, eumque precor ſupplex, ut in poſterum quoque conatus meos proſperet, & dirigat ita ut in Divini Nominis ſui gloriam cedant.*

MELIORA MELIORES.

* * *

Dum ventilas Corallia
Perdocte France, gratulor
Et fauſta quævis apprecor.
Faxit DEUS feliciter
Cedant labores Optumi
In nominis laudem ſui
Tuique magnam gloriam.

Nobiliſſimo Domino Reſpondenti Autori diſſertationis præſentis eruditiſſimo gratulab. f.

PRÆSES.

Nobilis egregiâ FRANCKI defenditur arte
Auſibus, & Sophico gemma labore micat.
Nobilis hinc quondam fulgebit gemma Sophorum,
Inter Apollineos luce micante Viros.
Nobilis & Civem laudabit Patria dignum,
ULMA Machaoniis officioſa Viris.

Prolixo gratulationis affectu Civi & Amico ſuo dilectiſſimo deprop.

M. JOHANNES Schumacher.

Non volviſſe ſat eſt ROLLFINCCI plurima ſcripta,
Indeq; MULIERUM diſſeruiſſe MALA.

Pro-

Prodit & in Phyſicis ſpecimen co-
RALIA luſtrans,
Quale nec his terris Plinius ipſe
dedit.
Ergo macte tuo GEMINO conamine,
FRANKI,
In GEMINO referes præmia digna
ſolo.
Quem GEMINUM fœtum miratur no-
ſtra SALANA,
ULMA, precor, GEMINUM ritè co-
ronet opus!

Ita αὐτοσχεδιάζων Civi, Amico, & Contubernali quondam ſuaviſſimo de egregiis profecti-bus gratulatur

M. MICHAEL Beck.